

Nf. 24.

79
PROGRAMMA SACRUM,
²⁷⁰
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
PRO-RECTOR AC CANCEL-
LARIUS,
IOANNES PETRUS
A LUDEWIG,

SERENISSIMI AC POTENT. BORUSSIÆ REGIS CONSILIARIUS
INTIMUS AC REGIMINIS MAGDEB. JURIIUM AC HISTORIA-
RUM PROFESSOR ORDIN. ET TOPARCHA BENDORFII,
PREZÆ ET GATTERSTADII, RELIQUA,

UNA CUM
DIRECTORE AC PROFESSORIBUS
RELIQUIS,
CIVIBUS ACADEMICIS
DIGNAM FESTI
RESURRECTIONIS CHRISTI
CELEBRATIONEM,
ET IN EA
PIAM DOCTRINÆ
DE
RESURRECTIONE MORTUORUM
MEDITATIONEM

QUAM HUMANISSIME COMMENDAT.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JOH. CHRIST. HENDELII, Acad. Typogr.

PROGRANNA SACRA
ACADEMIE FRIDERICIANAE
PRO RECTOR & CANCELL.
LARIUS
IOANNES PETRUS
ALUDEVIC
SERMONE
IN
FESTO
CORPORIS
CHRISTI
DIE CALENDARII
MENSIS
MAYI
ANNO
MDCCCXXXV
DIRECTOR AC PROFESSOR
RECTOR
GIVIBUS ACADEMICIS
HONORARIIS
RESURRECTIONIS CHRISTI
CELEBRATIONEM
T. IN KA
EAM DOCTERNA
RESURRECTIONE MORTUORUM
IN DIE LXXXV
D. IAN. HANNONE COMMENTAT.
HABE MAJORE ANNO DR. THEO. HENTZEL, 1835





Dogma de resurrectione mortuorum unum esse e præcipuis religionis revelatæ ac christi-
næ capitibus, & iis quidem, quæ venerabili
mysteriorum fidei nomine adpellantur, vel ex
eo constat, quod hoc ipsum profanis simula-
rorum cultoribus visum est maxime paradoxum, &
præ reliquis omnibus explodendum. Cum enim ipsis
per experientiam constaret, defunctorum corpora natu-
rali corruptione adeo destrui ac dissolvi, ut, in
principia sua resoluta, vulgo quasi in nihilum redacta
esse viderentur, ex nihilo autem aliquid fieri ipsis es-
set *ἐκ τῆν ἀδυνατίων*, corporum restitutionem negabant,
christianismi, qui eam quam maxime commendabat,
doctrina ideo etiam impie contempta. Iam quidem ve-
rissimum est, dogma illud rationem sibi relictam om-
nino transcendere, & esse unum e præcipuis fidei ar-
ticulis, in quorum revelatione luculentissimum divi-
nitatis, seu divinæ veritatis, characterem habet reli-
gio christiana; rationi vero illud repugnare, qui di-
cturus esset, ipsum oporteret sine iusto rationis usu
rationari: quemadmodum olim profanarum gentium
philosophi ratiocinati sunt. Genuinum enim rationis
usum qui adhibet, in resurrectione corporum adeo
nihil deprehendit absurdi, ut eam, postquam reve-
lata est, non possit non demisse admirari & reveren-
ter habere. Quid? quod ipsa ratio quo sanior est, eo
sanioribus principiis suis eam convenientiorem esse ob-
servat. Nam cum nihil sit absurdius ac stolidius atheis-
mo,

mo, & hic, negata genuini nominis creatione, errorem de mundi æternitate, omniumque rerum ac eventuum necessitate absoluta, aut cæco casu, pro fundamento suo habeat, & hinc, cum Dei providentia, etiam potestas ejus legislatoria ac judicialis concidat: is, qui Deum credit existere, inde per pronam catenatæ veritatis consecutionem facile deducitur ad dogma de resurrectione corporum, si non admittendum, cum admissio cum confessione divinæ fidei sit, tamen pro tali habendum, quod in se etiam probabile, sit; ἀξιόπιστον vero & venerabile, postquam revelatum est, & ad istud agnoscendum, pro obscuriore luminis naturalis facula & nocte sublustri, splendidissimus doctrinæ cælestis sol exortus est.

Id quod ut imperitis etiam ponatur extra dubium, fundamentum demonstrationis esto hæc immortæ veritatis propositio: *Deus vere existens est hujus universi, & in eo præcipue humani generis, conditor.* Iam si conditor est, & humanæ naturæ auctor, etiam est legislator, cum absurdum sit, DEUM sapientissimum & justissimum condidisse naturam rationalem & immortalem, intellectu & voluntate præditam, sine lege; & legem, quam ea sibi intime inscriptam habet, esse a se ipsa; etsi natura, cui inest, non sit a se ipsa, sed a Deo. Si vero Deus est summus generis humani legislator, ejusdem etiam est rector: si quidem lex in finem rectionis naturæ humanæ insita est. Et quidni rector sit ac provisor, qui est conditor; cum creatio sine fine rectionis & provisionis, seu providentiæ, vix cogitari queat; certe Deo tribui non possit. Iam si Deus est legislator & humani generis rector; quis vel dubitare possit, ipsum ejusdem quoque judicem esse; cum potestas legislativa judiciali in se contineat, & auctoritas rectionis, seu regiminis, etiam in quolibet principe cum potestate judiciali sit conjunctissima. Ju-
di-

dicium vero Dei sese quidem jam tum variis modis exferit in præfenti hominis vita per almam ejus providentiam: omnium tamen luculentissime se aliquando exferet *post hanc vitam*: quandoquidem experientia docet, inter homines *flagitiosos* permultos habere rerum omnium affluentiam, & in ea sine data flagitorum pœna hinc decedere; *piorum* vero ac proborum quam plurimos quam indignissime affligi ab improbis, & in judiciis humanis justissima sua causa cadere, cognitione ejus ad supremum appellationum tribunal, ab ipso Deo judice erigendum, relata & sic suspensa. Et hoc erectum, seu patefactum iri, testis est anima immortalis, futurorum præfaga, & in ea conscientia, malæ mentis tortura, bonæ consolatrix & suave præfidium.

Iam vero si futurum est universale & justissimum Dei legislatoris ac legum executoris *judicium*; quis vel dubitaret, quemlibet hominem pro *tota naturæ substantia* iri judicatum? Et ad eam corpus pertinere quis negare aufit? Quænam enim hic dari possit ratio, cur corpus organicum, tot actionum vel bonarum, vel malarum, instrumentum, nec remunerationis, nec pœnæ futuræ, particeps sit futurum? Et nonne negata corporum restitutio recideret in negationem *potestatis facultatisque ac voluntatis divinæ*? Quid autem esse posset a sana ratione magis alienum, quam quidem credere Deum, qui hoc universum e nihilo condiderit, idque regat; at ipsi abjudicare, quod multo minus est, scilicet *potestatem & facultatem* hominum corpora e principiis suis, in quæ resoluta sunt, restituendi? Id quod si Deus pro omnipotentia sua præfere potest; quis diceret, eum *nolle* effectum dare id, quod ad operum ipsius integritatem & uberio- rem gloriæ divinæ amplificationem quam maxime pertinet, & quam justissimum est? Posita itaque *creatione* ponitur *resuscitationis potestas ac facultas*; adferta legisla-
tione

rione & reſtione, una cum legis executione adferitur *reſuſcitandi voluntas*. Huc accedit eorum, quos futuri iudicii dies in terris vivos deprehendet, digna confidentia. Quis dubitabit, eos ſecundum *animam & corpus* integros coram Dei tribunali eſſe ſiſtendos, eosque in corporibus ſuis, eſi immutatis, æternum fore ſuperſtites? Hoc autem admiſſo, quis credat, hominum alios iudicatum & in omnem æternitatem relictum iri integros & totos ex utraque naturæ humanæ parte, alios vero tantum dimidios? Quis non obſervat, hanc mutilationem ab operum divinorum perfectione ſumma omnino abhorrere?

Maniſteſtum itaque eſt, futuram corporum humanorum reſtitutionem ſanæ rationi adeo non repugnare, ut potius ei ſit convenientiſſima. Et eo quidem ipli eſt convenientior, quo plura & inſigniora huius rei ſimulacra in ipſo naturæ regno deprehendit; ſive naturam conſideret ipſam, in primis vernante anni tempore, quo volucrum catervæ, & hortorum agrorumque germina ac proventus inſignem reſurrectionis imaginem exhibent; ſive artis chemicæ experimenta plane admiranda, immo ſtupenda, hic in conſilium adhibeat.

Quæ cum ita ſint, ſcilicet *dogma* de reſurrectione mortuorum, religioni revelatæ maxime proprium, ſuis etiam ipſius naturæ, ſeu naturalis luminis, radiis haud deſtitui: fatum iſtud *homuncularum genus*, quod, quia, præter ſolum naturæ lumen, nihil admittit, vulgo *naturaliſtarum* nomine adpellari ſolet, diſcat religionem revelatam reverentius habere, & demiſſe agnoſcere, pro micante & tantum non emoriente naturalis luminis facula, in religione revelata ipſum veritatis ſolem meridianum exſplendescere. Agnoſcant, ſe ne quidem juſto faculæ ſuæ uſu frui, ſed in ſpiſſiſſimis tenebris hæſere, ipſo etiam lumine naturali, nobiliore ejus ex parte, plane privatos. Quotus enim quiſque ſic dictorum naturaliſtarum eſt, qui futuram

turam resurrectionem mortuorum admittit, & negatione sua haud prodit, se etiam domi suæ esse hospitem, & homuncionem, superbum quidem & ferocem; at uti ratione intellectus stolidum & insanientem, ita ratione voluntatis depravatissimum, & respectu totius status sui longe miserrimum, qui in personarum miserabilium turba proximum ab atheis locum mereatur.

Nos vero, quotquot, admissio & reverenter habito revelatæ religionis principio, de augustissimo CHRISTI nomine dicimur, & nominis nostri ab eo accepti mensuram per Dei gratiam magis magisque implere sincere allaboramus, nobis merito gratulamur de eo cælestis veritatis lumine, in quo sublime dogma de *resurrectione mortuorum* vel ipsum evidentiam & claritatis meridiem habet. Immo *benedictus sit Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia nos regenuit in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* 1. Petr. I, 3. Et hæc ipsa illa est materia, quæ in lætissimis hæc feriis anastasiis, salutiferæ CHRISTI e mortuis resuscitati memoriæ consecratis, merito meditationem nostram occupat, ipso etiam totius naturæ statu tempore hoc verno quasi e morte sua reviviscente, & nos ad eam excitante. Spei autem nostræ fundamentum plane immortum, præter promissiones amplissimas, est ipsa Domini nostri IESU CHRISTI RESURRECTIO gloriosa; resurrectio Christi, tanquam capitis, a cuius in vitam reditu, totius corporis ipsius mystici resuscitatio dependet. Hunc ipsum enim in finem & cum certissimo hoc eventu Salvator noster est ac vocatur *ipsa vita ac resurrectio* Io. XI, 25. qui, uti Lazarum e mortuorum statu locoque evocavit: *Lazare, inquires, exi foras*; ita ut dictum esset factum: sic, tuba rerum novissimarum septima universam terrarum orbem personante, proclamabit celestina: *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* Io. V, 25. 28. 29. Matth. XXIV, 31. 1. Thess. IV, 16. Sic demonstrabit, quanta cum empha-

emphasi dicatur ἀρχὴ καὶ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *principium activum & primogenitus ex mortuis*; Col. I, 18. per cuius meriti virtutem fideles omnes, tanquam membra ejusdem, in vitam gloriæ restituentur; quia ipse factus est ἀπαρχὴ τῶν νεκροῦν, *primitia eorum, qui obdormiverunt* 1. Cor. XV, 20. 21. 22. cum e contrario impii vi justitiæ vindicis sint resuscitandi.

Habetis itaque, CIVES omnium ORDINUM FLORENTISSIMI, materiam, pia meditatione vestra per hasce ferias sacras, immo per omnem vitam vestram, dignissimam; materiam eo digniorem, quo solidius ejus veritas est fundata, & quo efficacior suaviorque ejus, si genuina sit, est consideratio. Quam ut vobis habeatis commendatissimam, vel ipsa vitæ vestræ mortalis brevitate admonemini. Certe qui hanc, subductis vitæ suæ anteaetæ, & inprimis academicæ, rationibus, recte perpendit, nec est immemor tremendi, coram quo quam certissime sistendus est, tribunalis, non potest non, nisi ipsam exuerit humanam rationem, serâ salutis suæ cura tangi. Hæc vero nec genuina est, nec salutaris, nisi per gratiam Dei agnita & superata morte, quæ in peccatis est, spirituali, seu transitu e morte in vitam spiritualem facta 1. Ioh. III, 14. CHRISTO, vitæ nostræ, naturalis, spiritualis & æternæ auctori, in solidum vivamus, & nobis ipsis ac pravis hujus seculi moribus, inprimis academicis, magis magisque moriamur. O beatos vos, si vita vestra, præcipue academica, rotius reliquæ vitæ vestræ basis, salutarî hac moriendi praxi nobilitatur!

P. P. in Academia Fridericiana in ipsis feriis anastasis
anno Domini, e mortuis resuscitati,

MDCCLXXVIII.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PROGRAMMA
2 v o
ACADEMIÆ FRI
PRO-RECTOR
LARI
IOANNES
A LUDE

SERENISSIMI AC POTENT. BOH
INTIMUS AC REGIMINIS MAGI
RUM PROFESSOR ORDIN. ET
PREZÆ ET GATT

UNA
DIRECTORE AC
RELIC
CIVIBUS A
DIGNAN

RESURRECTIO

CELEBRA

ET
PIAM DO

RESURRECTION

MEDIT

QUAM HUMANIS

HALÆ MAGDEB. TYPIS JOH

